



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Adami Contzen E Societate Iesv, SS. Theol. Doct.
Commentaria In Qvatvor Sancta Iesv Christi Evangelia**

Contzen, Adam

Coloniæ Agrippinæ, M.DC.XXVI

vers. 9.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82999](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82999)

Noster interpres, & Matthæus, imo Magister noster Christus sub ferulam vocatur.

Remissio peccati ostendit Deum esse.

Puerile etiam est, quod Beza *ἀγορ* vertit, attolle, scilicet in *βιμωρος*; quod simplice verbo *Tolle*, negat satis indicari. Reuera enim tollere plus est, quam attollere, abeuntem autem secum ferre iussit, quod si quis argueretur, non satis verbo attollendi significari contendit. Porro refutant Beza omnia, non dixit *ἀγορ*, sed *ἀγορ*, quod rectius per *tolle*, quam *attolle* exprimitur.

Fortis, viri tulit arma disertus.

In medio enim posita à victore auferebantur.

Hoc quoque obuium est, in terra remitti, non quod illa rem sibi in cælo rata non sit, sed ut indicet se descendisse, familiariter se præsentem exhibere, ut ne opus sit longe petere salutem, nobis iam hic offerri.

§. 2. Dignum vero obseruatu, quod S. Irenæus lib. 5. contra hæreses cap. 17. annotauit, Deum cuius præcepta homo violauit esse factum medicum & remississe peccata, & Deum hominemque se ostendisse. Et propter hoc, inquit, non credentibus, quæ ab eo fiebat, remissioni, Phariseis dicebat. Ut sciatis quoniam iam potestatem habet Filius hominis remittere peccata: & hoc cum dixisset, iussit paralyticum hominem tollere grabbatum super quem iacebat, & ire in domum suam: propter hoc quidem efficit, confundens incredulos, & significans quoniam ipse est Vox Dei, per quam accepit homo præcepta, quæ supergressus est, & factus est peccator: ex peccatis enim paralyticus subsequuta est. Peccata igitur remittens, hominem quidem curauit, femetipsum autem manifeste ostendit quis esset. Si enim nemo potest remittere peccata, nisi solus Deus; remittebat autem hæc Dominus, & curabat homines; manifestum est, quoniam ipse erat Verbum Dei, Filius hominis factus, à Patre potestatem (remissionis peccatorum) accipiens, quomodo homo, & quomodo Deus: & quomodo homo compassus est nobis, tanquam Deus miseretur nostri, & remittat nobis debita nostra, quæ factori nostro debemus Deo.

Nec vero illud intractum reliquit, quod pius populus admirabundus, & trepidus Deum collaudat. Turbæ enim in *Ἰερουσαλὴμ*, vel ut quidam legunt in *Ἰερουσαλὴμ*, attonita fuerunt. Luc. 5. 26. Repleti sunt timore, & stupor apprehendit eos. alii libri habent in *Ἰερουσαλὴμ*, timuerunt. Deum vero glorificauerunt, non nouum, non alium ab eo, qui semen Israel elegit, qui fœdus cum patribus iniit, & in posteris ratum esse testamentum suum voluit. Vnus igitur, idemque est, & noui & veteris Testamenti conditor: sed ipsum Irenæum libro citato loquentem audire præstat.

Quapropter & curato paralytico: videntes (inquit) populi, clarificauerunt Deum, qui dedit potestatem talem hominibus. Quem igitur Deum clarificauerunt circumstantes populi? Nunquidnam ab hæreticis inuentum incognitum patrem? Et quomodo eum, qui in totum non cognoscatur Deum non ab eis, glorificabant? Manifestum est ergo, quoniam eum, qui in lege à Prophetis predicatus est Deus, glorificabant Israelita, qui & est Pater Domini nostri. & propter hoc docebat homines in sensu per ea signa, quæ faciebat, dare gloriam Deo. Si autem ab altero quidem patre ipse venisset, alterum autem patrem glorificabant homines videntes eius virtutes, ingratos eos in eum patrem, qui miserat curationem, efficiebat, sed quoniam ab eo qui est, à quo Deus v-nigenitus filius venerat ad salutem hominum, & incredulos, per eas quas faciebat virtutes, prouocabat dare gloriam patri, & non recipientibus aduentum filii eius.

Glorificauerunt autem, quod tantam in spem omnes erexisset, & potestatem remittendi peccata tam conspecto miraculo comprobasset. Itaque &

Deus Christus est, & idem ille, quem Patriarchæ & Moses coluerunt.

VERSUS 9.

Et cum transiret inde Iesus, vidit hominem sedentem in telonio, Matthæum nomine, & ait illi, sequere me, Et surgens secutus est eum.

QUESTIO I.

An Matthæus ista scripserit?

§. 1. Negat Faustus apud Augustinum sumptum ex hisce verbis argumentum. Quid enim dicit? Et cum transiret Iesus, vidit hominem sedentem ad telonium, nomine Matthæum, & vocauit eum. At ille confestim surgens, secutus est eum. Et quis ergo de seipso scribens ducat, vidit hominem, & vocauit eum, & secutus est eum: ac non potius dicat, vidit me, & vocauit me, & secutus sum eum: nisi quia constat hæc Matthæum non scripsisse, sed alium nescio quem sub eius nomine? Cum ergo, ne quidem si & Matthæus hoc scriberet, verum foret: quia præfons non erat, quum Iesus hæc loquebatur, in monte: quando magis credendum non erit, quia nec Matthæus eadem scripsit, sed alius sub nominibus & Iesu, & Matthæi.

Respondet Augustinus. At quam elegantem rem sibi visus est Faustus dicere, ubi propterea voluit, non credi hæc scripsisse Matthæum, quia cum de sua electione diceret, non ait, vidit me & dixit mihi, sequere me: Sed vidit Matthæum, & dixit ei, sequere me: quod nescio vitrum de errore imperitiæ dixerit: an de more fallacia: Sed non vsque ad eo imperitum putauerim, ut nec legerit nec audierit, solere scriptores rerum gestarum, cum in suam personam venerint, ita se conserere, tanquam de alio narrent, quod de se narrent. Magis ergo hunc arbitror non ut imperitum, sed ut imperitiæ nebulam obtendere voluisse, sperantem se pluris esse capturum, qui ista non nossent. Et in historia quid eorum secularium talis narrationis reperitur exempla, sed nonne plus est, ut ex alio genere literarum, vel nostris admonem, vel istum resellam: ipse certe paulo ante de libris Moysi quædam testimonia ita proferebat, ut non ea negaret scripsisse Moysen, immo & affirmaret, sed ad Christum non pertinere censeret. Legat ergo in eisdem libris, quæ de se scripsit Moyses, & facit Moyses, verum ita scripserit, Dixit autem, feci hæc vel illud: & non potius dixit Moyses, & facit Moyses: aut vocauit me Dominus: vel dixit ad me Dominus: & non potius, vocauit Dominus Moysen, Dixit Dominus ad Moysen: & omnia cætera in eundem modum. Ita ergo & Matthæus de se tanquam de alio scripsit, Quod & Ioannes fecit: nam circa finem libri sui etiam ipse se loquitur, Conuersus Petrus, vidit discipulum quem diligebat Iesus, qui & recumbebat in cœna super pectus eius, & dixerat Domino: Quis est qui tradet? Nunquid & hic dixit, Conuersus Petrus vidit me: an forte propterea nec istum putant hoc Euangelium scripsisse? Sed paulo post dicit, Hic est discipulus qui testificatur de Iesu, & qui hæc scripsit: & scimus, quia verum est testimonium eius: Nunquid ait, Ego sum discipulus, qui testificor de Iesu, & qui hæc scripsi, & scimus, quia verum est testimonium meum? Certe manifestum est, hunc morem fuisse scriptorum, cum gesta narrent: Quam multa & ipse Dominus eadem locutione de se dicit, quis enumerare sufficiat? Cum venerit, inquit, filius hominis, putas inueniet fidem in terra? non dixit, cum venero, putas inueniam? & venit filius hominis manducans & bibens: non dixit, veni: & venit hora, & nunc est, cum mortui audient vocem filij Dei, & qui audiunt, viuunt, non dixit, vocem meam: & multa huiusmodi. Vnde

Vnde iam puto sufficere, quæ dicta sunt, & ad studiosos commonendos, & ad calumniolos conuincendos. Tam claro responso nihil addere necesse est. Non omitterenda tamen controuersia fuit: cum quod multa contineat, aliis locis utiliter addenda, tum quod eiusdem generis fere sunt, quæ hodie à Sectariis proponuntur.

QVÆSTIO II.

Rectene Matthæus secutus est?

§. 1. Obiecit olim Porphyrius, Matthæum stolide secutum esse, ad primum statim verbum. Hieron. in S. Matthæum. lib. 1. Arguit in hoc loco Porphyrius, & Iulianus Augustus, vel imperitiam Historici mentientis, vel stultitiam eorum qui statim secuti sint saluatorem: quasi irrationabiliter quemlibet vocantem hominem sint secuti. Cum tanta virtutes, tantæque signa præcesserint, quæ Apostolos antequam crederent vidisse, non dubium est. Certe fulgor ipse, & maiestas diuinitatis occulta, quæ etiam in humana facie relucebat, & primo ad se videntes trahere poterat aspectu. Si enim in magnetis lapide, & succinis hac esse vi dicitur, ut annulos & stipulam & festucas sibi copulent: quanto magis Dominus omnium creaturarum ad se trahere poterat, quos volebat?

Itaque iam multa miracula audierat, ut merito crederet, forte etiam aliqua viderat. Deinde diuina quædam virtus intus in animo agens eum vocabat, & perurgebat, cui si resisteret, vel infidelis esset, vel pertinax.

§. 2. Notandum quod Lucas ait, reliquit omnibus secutum esse. Quod ita Piscator interpretatur, ut si rem spectes, sit, retentis omnibus. Et nobis obicit: At si reliquit tum omnia sua, quomodo mox in domo sua apparuit Christo conuiuium? Respondet ille: reliquisse omnem illam negotiationem suam, & sequi eum addixisse Christo, ut faceret quod ille iuberet; sed rebus vsu esse, quatenus per nouam vocationem licuit. Et Caluinus. Nam omnia relinquere nisi domestico Christi discipulo, & in ipso apostolatus vocato, necesse non erat.

Malæ sine dubio interpretatio, cum domos & agros, & omnia deferenda essent, cum in primitiua Ecclesia, ne de precio quidem quidquam fraudarent. Quid enim magni erat, hominem diuitem facultatibus retentis inuidiosissimam, ancipitemque redimendorum vestigalium negotiationem deferere? At quomodo domum habuit omnibus relictis? Respondeo. Eum continuo secutum esse animo omnia relinquendi, & iam ipsas negotiationes defererebat, ideo domum ibat, ut domum defereret; Cum igitur iam animo abdicasset omnia, cum iam surgeret, merito dicitur omnia reliquisse. Quod tamen non ita intelligendum, quasi rationibus imperfectis, quasi forte cedens discesserit, aut conturbaret. Hoc enim non modo honorificum Christo non fuisset, sed etiam periculosum. Nam Princeps publicanorum, scilicet eum merito desertorem appellasset, forte etiam per magistratus iura sua repetissent. Itaque prius constituere de vxore, de liberis, creditoribus satisfacere, de debitoribus agere, denique vendere, & dare pauperibus oportebat, Vno verbo, quasi ciuilitate moriturus domui suæ disponere, quæ cum amicis ciuilitate facienda essent, amicos, notosque inuitauit, & Christo conuiuium exhibuit. Dum ergo ista faceret, & illa retinebat, & dimittebat, nam qui vendit, vel dat pauperibus, adhuc vendendo, & dando vitur dominio.

QVÆSTIO III.

An peccatores libero ad Christum arbitrio veniant?

§. 1. Vocationem fieri vi irresistibili docent illi, Nihil agere qui rigida Zuinglij sectam sequuntur, ita re peccatores nihil omnino agant. Contra vero S. Aures in conuict. opere de gratiâ & libero arbitrio, cuius insignis uersione, sententia est l. c. 17. Quis istam etsi paruum dare coepit charitatem, nisi ille qui preparat voluntatem; & cooperando perficit, quod operando incipit? Quoniam ipse ut velimus, operatur incipiens, qui volentibus cooperatur perficiens. Propter quod ait Apostolus: Certus sum, quoniam qui operatur in vobis, opus bonum perficiet usque in diem Christi Iesu, ut ergo velimus, sine nobis operatur, cum autem volumus, & sic volumus ut faciamus, nobiscum cooperatur, tamen sine illo vel operante ut velimus, vel cooperante cum volumus, ad bona pietatis opera nihil valeamus. De operante illo ut velimus, dictum est. Deus est enim qui operatur in vobis & velle. De cooperante illo cum iam volumus, & volendo facimus, scimus, inquit, quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur ad bonum. Qui enim creauit te, sine te, non iustificabit te sine te. D. Thomas 1. 2. q. 111. a. 2. Valent. 1. 2. disp. 8. q. 3. puncto 5.

§. 2. Cum vero omnes Patres ita sentiant, eludere exemplo Caluini solent eorum auctoritatem, Beza, Pareus, S. brandus, Gommarus, alii quod Philosophicis fuerint instituti disciplinis, quibus alio ego loco respondebo, nunc de eo: um castris, ducem illis oppono, ut bello ciuili decertent. Caspar Barleus hunc in modum. [Sed verisimile omnino dicit esse illos hic errasse, quia recens est philosophorum s. holis prodierant. At cui persuadebit Bogermannus, aut quisquis fuerit alius, minus Theologum esse debere, qui magis Philosophus fuerit? Putabam ego Philosophiam magnum ad Theologiam adferre momentum, & sicut a Philo- libi, ita etiam hic esse veri normam & canonem. An credit contradictoriam esse Theologiæ Philosophiam, & huius principis illam subuerit? At n. hil hoc ipso *ἀποδοξάζειν*. Neque enim vllum dogma recte ratione adstrictum rescindit Theologia, aut auersatur fides, etiam si plurima non assequatur ratio humana, nec capiat, quæ tamen ex reuelatione diuina creditur fides, non contra, sed supra rationem. Non contradicit veritati veritas, sed falsitas. Ita enim Philosophus. Eth. 1. cap. 8. τὸ μὲν ἴδιον ἀληθὲς πάντεσσι συνάδει, τὸ δὲ ψευδὲς παρὰ διαφορὰν τῶν ἀληθῶν. Obiicitur forte, omnes se & quidem maximas hæreses à Philosophis introductas esse. Esto, quum per Philosophos item oppressæ sint. Valentinus Platonice Philosophiæ sectator oppugnauerat Ecclesiam, sed Iustinus Philosophus, & Irenæus Philosophus defendit: Marciom stoicæ Philosophiæ studiosus Christianam impetit veritatem, sed Tertullianus Philosophus confecit hostem. Celsus Philosophus vniuersam Christi doctrinam simul ac vitam non ferendis conuiciis lacerauit, sed Origenes melior Philosophus illius blasphemias discussit. Immerito male audiat Philosophia, & Philosophi omnes, quia fuere, qui Philosophiæ prædiis bellarunt aduersus Euangelium. Hominum enim illud vitium fuit, non Philosophiæ. Commendantur alias hoc nomine Theologorum summi, quod Philosophi fuerint. Nunc vero vitio præclarissima illa Græcorum ingenia minus recte dicuntur *ἀποδοξάζειν*, quia recens est Philosophorum scholæ egredi recte norunt φιλοσοφῆν. At ego tanto felicius illos Theologiam tractasse credo, & quidem ea parte, quæ præsentibus concernit disputationes, quanto præceptis institutisque Philosophiæ abundauit magis. Ex hac enim didicere, non vi irresistibili, sed ratione trahi eandem.

Ex

